





1. Anton f. Pauli, s. Veritas  
Christianæ Religionis,  
Halle, 1718.
2. ————— diff. de Insigni  
Harmonia Fidei que iusti-  
ficat, et Fidei quatenus  
justificare dicitur, Halle, 1723
3. Barth f. ioh. Henr. f. diff.  
de docta in theologia Ignoran-  
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarther f. Sigism. jac. f.  
diff. de Limitibus in concili-  
anda Rationi Doctrinae  
revelata observandis, Halle  
1751.

5. Bettingen f. ioh. f. Positiones  
de Mysterio S. Trinitatis  
Exordie 1629.
6. ————— diff. de duplicitate  
natura Christi, Exordie  
1629.
7. Brecht f. ioh. Rein h. / diff. n.  
de Remissione fratris Cesi ad  
Ecclesiam per Christum facta,  
Argentorati, 1716.
8. Breithaupt f. joach. justi /  
diff. de Notis Candidatorum  
ministerij Ecclesiastici; Hale  
1697.
9. Buddeus f. ioh. franc. / de  
temperamentis Hominum,  
jend, 1704.
10. ————— Questiones, an  
naturali homines, proleant  
ratiocinandi Facultate,  
jend, 1698.
11. ————— / iudicium Martini  
Lutheri de Ecclesia Romana  
expensum, jend, 1717.

12. Chemnitz f. Mart. f. diff. de  
Sponsalibus, iena, 1664.
13. Fecht f. ioh. f. diff. de Visi-  
tatione domestica ab Ecclesie  
Ministro instituenda, Rostochij
- 1708.
14. Finhaber f. frid. jac. f. diff.  
de Methodo demonstrandi ea  
thematica ad Res theologicas  
non applicanda, Wittenbergae  
1715.
15. Franzius f. Wolffy f. Oratio  
cur Dominus noster Iesus  
Christus sit vocatus Emmanuel  
Wittenbergae, 1598.
16. ————— diff. XII ex Deuter-  
onomio, Wittenbergae, 1608.
17. Gerner f. Salam. f. diff. de  
Reliquijs Ecclesie Romanae,  
Wittenbergae, 1597. quas  
Euliniabli retincent Witten-  
bergae, 1597.
18. ————— diff. papissimi  
Euliniarorum practicij  
Wittenbergae, 1597.

19. Goetz f. Georg Henr. f. diff.  
de Annuntiacione iudicij ex-  
tremi a Christo exercendi,  
Lubecae, 1713.
20. Gregorij f. fidei Cris. f. diff. II  
de Temporementis Scriptorum  
Novi Testamenti, Lipsiae, 1710.
21. Hardtschmidt f. ioh. Nic. f.  
diff. II. de Conventiculis  
Argentorati, 1705.
22. Havighorst f. ioh. f. diff. de  
Paschate, Bremo, 1717.
23. Heilbronner f. phil. f. diff.  
de Erroribus Pontificio-  
rum circa Doctrinam de  
Ecclasia, Lauingen, 1545.
24. Henckel f. Georgij ioh. f.  
diff. de veru Librorum  
Apocryphorum V. T. in  
novo testamento, Halle  
1711.

25. Henningi Joh. f. diff. que  
in Ministerio hoc recondita  
catat Erfordia
26. Roeber f. pauli f. diff. de  
potestate Romani Giseppi  
Wittenbergae, 1628.
27. Hildebrandi f. joach. f. diff.  
de Ritu Bus Sacris, Helmstedt,  
dij, 1655.
28. Krausling f. Henr. f. diff. de  
methodo demonstrandi pra  
thematica in theologia non  
non applicanda, Wittenbergae
29. 1715.  
Knebel f. joh. Chr. f. diff.  
de Anno et Die Nati  
vitatis Christi, Magdeburgae  
1722.
30. Leyser f. polyoi f. diff. de  
noviter adornanda novi Testamen  
ti Graeci Editione, Helmstedt  
1723.

I. N. 7.

7 a

EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
REMISSIONE  
FRATRIS LÆSI AD  
ECCLESIAM PER CHRI-  
STUM FACTA,

Matth. XIX. №. 17.

Cujus

PENSUM PRIUS

DIVINO FAVENTE NUMINE  
P R A E S I D E

VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo  
atque Excellentissimo

DN. JOH. REINARTO  
BRECHTIO,

SS. Theol. Doctore, ejusdem Prof. Publ. Ordinario  
longe Celeberrimo, Ecclesiaste Libero Meritissimo, atque

p. t. Spectabili Facult. Theol. DECANO,

DN. Patrono, Fautore ac Preceptore suo omni pietatis  
cultu in æternum devenerando, colendo.

PUBLICO Examini subjicit

M. JACOBUS SCHWEIKARDUS.

Argentoratenfis.

Die 17. Aprilis A. M. DCC. XVI. Horis locoq; consuetis.

ARGENTORATI, LITERIS JOHANNIS PASTORII.

ILLUSTRI COLLEGIO  
DOMINORUM  
PRÆFECTORUM  
LIBERALITATIS  
OTTONIANÆ  
VIRIS  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, PRU-  
DENTISSLIMIS, MAXIME REVEREN-  
DO, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,  
EXPERIENTISSIMO ATQVE  
EXCELLENTISSIMIS,

*DNN. Mecenatibus ac Evergetis suis Summis,  
nullo non pietatis atque observantiae genere ad cineres  
usque colendis*

PRIMITIAS HASCE THEOLOGICAS

In ulteriorem sui suorumque studiorum commendationem humillima devotaque mente  
offert

TANTORUM NOMINUM

*eternus Cultor*

M. JACOBUS SCHWEIKARDUS, Argent.  
Respondens.



A. Ω.  
DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ  
*in Matth. XIX. 17.*

DE  
REMISSIONE ADECC-  
CLESIAM PER CHRISTUM  
FACTA.

PRÆLOQVIUM.

Ecclesiæ Christianæ in his terris  
summam necessitatem toties jam  
olim confessi sunt p̄ij Veteres, quo-  
ties verissimam ipsam ac sanctissi-  
mam omnium vere in Christum  
credentium Matrem, extra cujus gremium nulli  
mortaliū gratia apud Deum Patrem, Salusque  
æterna contingat, appellare consueverunt. In-  
star omnium esse potest Beatisſimus Hippoñenſis  
Praefid. D. AUGUSTINUS, cui hæc Ecclesiæ co-  
gnominatio quam ſolemniflma fuit. Fidelibus omni-  
bus, inquit ille T. II. Opp. Epift. XXXIX. Pater  
Deus est, & Mater Ecclesia; & paucis interjectis,  
eisdem parentes æternos Deum & Ecclesiam agnoscere  
ait; quos & ſecuros esse jubet T. VII. L. III. con-

A tra

tra literas Petil. C. IX. quod Deum Patrem, & ejus Ecclesiam Matrem habeant, in qua scil. non ex qua ab illo geniti sint. Hec Ipsi, juxta T. X. Serm. CCLIII. omnium credentium Mater est, quæ natos à morte regenerat ad salutem; divinitus scilicet constituta à Spiritu S. T. III. de Gen. ad Lit. C. I. unde & Mater spiritualis Ipsi audit Epist. CLXIX. extra quam neminem vivificat Spir. S. ut non habeant Spiritum S. qui sunt extra Ecclesiam. T. II. Epist. L. nec possit habere Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. T. IX. L. IV. de Symbolis ad Catech. C. X. & quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habiturus sit vitam, sed ira Dei mansura sit super eum. Epist. CLII. Hinc & T. III. Lib. de Fide ad Petrum Diac. C. XXXVI. & seq. extra Ecclesiam neminem salvare posse, simpliciter asserit. Hanc autem salutem Ecclesiam fidelibus conferre per Baptismum, idem Auctor est in Epist. CCIII. & per verbum Evangelij de Christo, tanquam lac illud, quod Apostolus Paulus parvulis se potum dedisse prædicavit. T. I. L. de quantit. animæ C. XXXIII. Ipsissima haec Spir. S. disciplina est. Quam enim Matrem fixundam fore vaticinatus est sanctissimus Prophetæ Esaias C. LIV. I. Ecclesiam scil. N. T. illam Matrem omnium nostrum deprædictat D. Apostolus Paulus Gal. IV. 26. seq. Quum autem & Babylonii Mysticae nomen Matri tribuatur Apoc. XVII. 5. quin imo Ecclesia ipsa, mater quondam vera, in novercam & adulteram degenerare, ac nihilominus Matris veræ nomen

pro-

prositeri possit, quemadmodum illud in Ecclesia Israëlitica V. T. factum, per Prophetam Hoseam C. II. 2. sq. querulatur JEHOVAH sponsus Ecclesiae unicus, *eamque cum filiis à complexu suo se abjecturum v. 3. & 4.* minatur; ideo nec hac in re temperare sibi voluit D. pater, quin, qualem esse vel non esse oporteat Ecclesiam, si vera Matris nomine digna esse velit, depingeret: *Ecclesiam enim T. VI.* de sancta virginitate C. II. vocat & virginem & Matrem; virginem, propter integratem; Matrem, quia spiritualiter membra capitii sui parit. Et concione ad Catechumenos adversus Judæos, Paganos & Arianos C. XXII. p. 68. Ecclesia, inquit, est mater vera, pia mater & casta, intrinsecus sui viri dignitate ornata, non forinsecus mendacio fallen-te turpiter colorata: non nos ab ista matre & nomen confictum seducat alienum, non nos Ecclesia species aliena decipiat. Sponsa non est, quæ virum suum non cognoscit: turpis est, quæ tanti viri speciem suis sermonibus fiscare contendit. T. vero I. L. I. de Moribus Ecclesiae Cath. C. XXX. alloquitur Ecclesiam Christianam, tanquam Matrem Christianorum verissimam, & inter virtutes ipsius numerat, quod nullam nobis adorandam creaturam inducat, cui servire jubeamur. Hæc meditanti, & simul conferenti dictum Christi Matth. XIIIX.<sup>17.</sup> discipulos suos ad Ecclesiam, tanquam Matrem, remittentis, commodum intercesserunt præcellentes Juvenes, Dn. M. JACOBUS SCHWEIKARDUS, & Dn. M. JOHANNES GEORGIUS KALLENBERGIUS, ambo Argentoratenses, ambo SS. Theologiae Cultores perindustrij; qui cum in laudatissimo, quod heic Argentorati est, & cuius ipsi

Alumni non indigni sunt, Collegio Wilhelmitano, in quo provida Illustrium Ephorum cura non inanes fuci, sed pijs & egregij juvenes in emolumenatum Ecclesiae orthodoxae & spem futuri seculi solicite nutriuntur, jam ab aliquot annis studio Theologico, ejusque singulis partibus, operam haud superficiariam locant, me compellaverunt, ut materiam aliquam Ipsijs Theologicam subministrarem, qua de in publica Panegyri cum commilitonibus sermones miscere, & Nutriciis Ecclesiae specimen aliquod comparatae sibi Eruditionis Theologicae exhibere possent. Quare, ut ejus potissimum dicti meditationem qualemcumque, tanquam non inutilem aut incongruam futuram, in se susciperent, auctor sua forque fui; quam Tuis jam oculis subjectam, B. L. ut æqua benignaque censura digneris, est quod etiam atque etiam rogatum Te cupimus. Deus T. O. M. Gratia Spir. S. nobis assistat, ut ea meditemur, quæ Sanctissimo Ipsijs Nomi gloria, & Ecclesiae Christianæ, verissima Matri nostræ, salutaria sint, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM. Amen.

## §. I.

**C**um Locus Dissertationi nostræ præfixus, judice Rob. Bellarmino T. II. Controv. L. I. de Concil. C. XIX. §. Nos ergo &c. varias admittat explicationes; scilicet de facto, non de jure; hoc enim, ut aliorum S. Scripturæ Textuum, ita & hujus ex sententia dicentis unicus tantummodo sensus est, isque literalis, non diffitente Alphonso Trivato, Quæst. 57. in C. II. Matth. & ad C. XV. Quæst. 28. ideo ut officio fidelis Interpretis rite fungamur, prius de vero atque

atque genuino dicti sensu & Exegesi solliciti erimus, quam Conclusiones exinde deducamus, vel ab aliis deductas examinemus. Ut autem justo bonoque ordine in Explicatione hujus dicti versemur, præmittemus ante omnia Ipsilon Textum Originalem cum quibusdam Versionibus.

Habent autem Verba Christi apud Matthæum C. XLIX.  
v. 17. juxta fontes ita :

*Ἐάν δὲ παραποτὴν ἀντέψῃ, εἰπε τῷ ἐκκλησίᾳ ἐὰν δὲ χρή τοις ἐκ-  
κλησίαις παραποτῇ, ἐξω τοι ὁ παπάς σου ἐθυμός χρή ὁ τελώνης.*

In editionibus Matthæi Hebraicis, quæ Lutetia Parisiorum diversis annis primum A. 1551. per Johannem Quarborem, postea A. 1556. per Johannem Tilium prodiceret, priori quidem punctis ornata sic legitur :

*וְאָם לֹא יִשְׁמַע אֶתְּנָהָרָם אָמֵר לְמִקְדָּשׁ : וְאָם וּמְאָן לְשָׁמוֹעַ  
את וּמִקְדָּשׁ יְהוָה לְכָסָנוּ גַּוְיִם וּבָל עֲבָרָה :  
אֲ qua posterior punctis destituta paululum recedit h. m.  
וְאָם לֹא יִשְׁמַע אֶתְּנָהָרָם בְּקָדְשׁוֹ לְוְאָם וּמְאָן לְשָׁמוֹעַ  
בְּקָדְשׁוֹ לְךָ כָּסָנוּ גַּוְיִם וּבָל הָעֲבָרוֹת :*

Cui subjecta versio ita habet : quod si non audierit eos, in caetu dic ei. Si autem renuat ecclesiam audire, sit tibi sicut ethnicus & transgressor.

Utraque ab Editione Munsteriana dissentit : utra harum sit authenticæ ? aut, an Munsteri ? aut alia quædam sit authenticæ ? aut an Matthæus unquam Hebraice suum Evangelium scripserit ? operose non discutiemus ; acquiescimus potius iudicio B. D. Glafsi Philol. S. L. I. Tr. IV. Sect. II. Can. I. Dub. I.

### §. II.

Versio Syriaca peculiare quid non habet , nisi quod *מִכְכָּנָה* publicanus p̄̄ponat *חַנְפָּנָה* quod profanum, ethnicum, extra Ecclesiæ gremium viventem significat. Unde & Gutbirij Versio habet : Si autem etiam hos non au-

dierit,

¶ ( 6 ) ¶

dierit, dic Ecclesiæ : Si vero Ecclesiam etiam non audierit,  
sit tibi sicut publicanus & sicut ethnicus.

Vulgata : Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : Si  
autem Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus &  
Publicanus.

Vatablus : Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : quod  
si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publi-  
canus. De iis, quæ in notis adjecit, deinde videbimus, quan-  
do ad vocum explicationem veniemus.

Pagninus : Quod si neglexerit audire eos, dic Ecclesiæ :  
quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut quivis  
Ethnicus, & quivis publicanus.

Ariæmontanus : Si autem neglexerit eos, dic Ecclesiæ :  
Si autem & Ecclesiam neglexerit, sit tibi sicut Ethnicus &  
Publicanus.

Hafenrefferus : Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ,  
quod si & Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus &  
Publicanus.

Erasmus Schmidius : Quod si vero neglexerit audire  
eos, indica Ecclesiæ. Quod si vero nec Ecclesiam audire di-  
gnetur ; sit tibi velut aliquis, qui est Ethnicus, & qui est  
Publicanus.

Sebast. Schmidius : Quod si non audierit eos, dic Ec-  
clesiæ : si vero etiam Ecclesiam non audierit : esto tibi sicut  
Ethnicus & Publicanus.

D. Lutherus : Höret er die nicht/ so sage es der Gemei-  
ne: Höret er die Gemeine nicht/ so halte ihn als einen Hey-  
den und Zöllner.

Eccius : Höret er die nit/ so sage es der Kirchen: Hö-  
ret er die Kirche nit/ so halte ihn als ain Haiden und Publi-  
canen.

Johann Heinrich Reiz : Und wann er denselben un-  
gehorsam sein wird / so sage es der Gemeinde / (in subiecto  
asterisco : der herauf (aus der Welt) beruffenen Versamm-  
lung) wann er aber der Gemeinde ungehorsam sein wird / so  
soll er dir sein gleich wie der Heid und der Zöllner. In qua-  
po-

postrema præter necessitatem pro indefinito Ein substituitur  
definitum Det.

## §. III.

Titulo præscriptissimus Argumentum Textus, quod est Remissio (offensarum inter Christianos ortarum) ad Ecclesiam à Christo facta. In quo argumento explicando consideranda veniunt I. Quis remittat? II. Quem remittat? III. Quid remittat? IV. Quo remittat? V. In quem finem remittat? Quibus VI. loco subjungendus dicti sensus, & tandem VII. Consectaria quædam ex eodem deduci solita examinanda erunt.

## §. IV.

Quæ sit I. persona Remittens, haud longa indagine cognoscitur; CHRISTUM enim, Filium Dei & Domini num nostrum esse ex v. 3. Capitus hujus manifestum est; quo D. Matthæus Ipsum proprio suo nomine JESU appellatum *εἰπεν* dixisse i. e. responsonem ad questionem illam ambitionis plenam de primatu in Ecclesia, inter discipulos agitatam, exorsum esse ait. A quo v. 3. continuo fluxu usque ad verba Textus propositi eidem Matthæo sermo Dominicus decurrit. Quamvis enim apud Marcum C. IX. v. 38. Johannes cursum orationis Dominicæ interpellatione quædam impederit, nihil tamen aliud ea effectum fuit, nisi quod interpolito brevi responso sermonem semel cœptum reasfueret Salvator optimus, telamque orationis pertexeret. Specandus autem hic non immerito nobis videtur Christus, ut in officio suo propheticō constitutus, tanquam Doctor Ecclesiæ sua summus, penes quem summa, eaque absoluta, independens, adeoque incommunicabilis alteri, in Ecclesia docendi autoritas est, λέγω ὑμῖν, inquit, v. 18. quem jani olim illustri Mosis vaticinio commendatum Deut. XLIX. 15. sqq. Vox Patris cœlestis ad Jordanem universo mundo audiendum designavit Matth. III. v. 17. Cujus verbum omnium in Ecclesia, (quæ sponsa Ipsius est, ad unius Ipsius vocem audiendam adstricta Ps. XLV. v. 11.) & dicendorum & faciendo rum unica norma est Deut. XXXIX. v. 19. Joh. II. v. 31. à cuius

cujs auctoritate, quicquid in Ecclesia auctoritatis est, unice dependet; perfectissimus, perfectione non solum doctrinæ, sanctificæ, solatijuxæ, salutiferæ Joh. XIV. v. 6. perfectissime in S. Literis revelatæ. Joh. XX. v. 31. ut neque additionem neque detractionem patiatur. Apoc. XXII. v. 18. 19. nec solum exempli Act. I. 1. Sed & præsentia, promissæ omnibus iis, qui in nomine ipsius congregati sunt, hoc ipso Matthæi capite v. 20. Ipse enim est Filius ille hominis, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, Apoc. I. 13. h.e. particularium Ecclesiarum in orbe dispersarum, & in manu sua habet stellas, h.e. non tantum Doctores, sed etiam veros fidèles, qui in medio perveræ & pravæ nationis lucent tanquam luminaria in mundo; Interprete Harm. Evang. Chemnitio-Lyser. C. XCII. p. 1010. b. Sapientissimus, qui varia discipulorum ingenia, præcipue autem ambitionem, rixarum & contentionum errorumque omnium matrem, probe perspexerat; unde cum discordiarum in Ecclesia osor maximus, boni vero ordinis scientissimus esset, mature illis mederi, huic consulere, modumque præscribere, & salutaribus suis doctrinis præcipue quidem Apostolos, eorumque in docendi munere successores, non tamē eos solos, sed & quoslibet Ecclesiæ cives, imo universani Ecclesiam de Oeconomia Ecclesiastica rite instituenda & servanda instruere decreverat; à cujus etiam ore suavissimo omnes Ipsius discipuli cupidissimi pendebant.

## §. V.

Differendum hic aliquid erit de Occasione, qua motus ad hanc disciplinæ Ecclesiasticæ Regulam Discipulis suis inculcandam descendit sapientissimus Magister. Nimurum, quod ex initio C. XIX. clarum est, illaudabilis ambitionis vitium, quod Apostolorum animos totos occupabat, excepturus iis, tanquam quod futuros gentium Doctores minime omnium deceret, pulcerissimam veræ humilitatis virtutem, sub viva Idea producti in medium pueri commendaverat, contraque scandalum quæcumque, quæ vel professioni fidei ipsorum, vel praxi genuinæ pietatis à perverso mundigenio, aut

aut propriæ corruptæ carnis illecebris objici poterant, non solum ipsos, sed & omnes, qui discipulorum suorum choro adscribi cupiunt, ¶ 6. & seqq. gravissimis argumentis communiverat. Quum vero ex tot tantisque scandalis infinitas quoque offensas inter ipsa Ecclesiæ membra, & in universo Ecclesiæ gremio nascituras, & hinc Questionem illam prædicam, quæ remedia utrisque tollendis adhibere conveniat? in animis discipulorum vel suborituram, vel, quod ex subsequenti Petri interrogatione augurari licet, jam subortam animadverteret, nec hac in re ipsorum desideriis deesse voluerat. Gravi igitur sermone ¶ 15. de methodo & correctionis & reconciliationis fraternæ instituto, eleganti usus gradatione, jam duos priores iustius Gradus, eosque privatos exposuerat, nec ulterius quid restabat, quam ut reliquos duos superiores gradus, quibus disciplina Ecclesiastica describeretur, adjiceret, methodumque fructuose utroque observandam præscriberet; id quod & ¶ 17. egregie præstitit.

## §. VI.

Scopus itaque, prout ex modo dictis elucet, verbis hisce Christo præfixis, Informatorius est. Volebat enim Dominus Auditores suos instruere, quid facere ipsos oporteat, si frater scandalis suis fratrem offendens, neque privatis, blandis licet, fratris læsi monitis, aut etiam precibus & obtestationibus patulas præbere aures, neque amicæ arbitrorum præsentium interpellationi morem gerere velit, sed susque de que habitis cunctis salutaribus castigationibus, viis suis malis praefactus insitiat, impiisque suis sive dictis sive factis laessere animum fraternum pergit. Nempe non statim omnino abjiciendum, aut orco devovendum, aut etiam ad ultionem illatarum injuriarum de ipso sumendam progredendum esse; sed quemadmodum in Ecclesia, quæ est domus Dei I. Tim. III. 15. ὅς εἰς τὴν ἀκατάστατην θρόνον ἀνέβη, I. Cor. XIV. 33. omnia decenter & secundum ordinem fieri decet, leniorem denuo viam ad fraternam reconciliationem ineundam, remque omnem examini atque judicio Ecclesiæ esse subjiciendam, cuius interventu fratrem peccantem vel

B

lucrē-

lucentur, vel à fraterno consortio removeant. Id quod succincte complexus est D. Chrysostomus, Tom. II. Opp. Homil. II. ad hæc verba in hunc modum commentatus : *Quid autem facere debeas, si non persuadetur, subdit, (scil. Christus) si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos &c.*

## §. VII.

Quem autem II. Dominus hoc suo sermone instruat, eumque ad Ecclesiam remittat, jam disquirendum est. Si ipsam orationis formam externam intuearis, videri poterit, certum aliquod hic individuum insinuari, quod in observandis fraternalè correptionis gradibus erudiendum sibi sumpserit Magnus noster Propheta. Plurali enim numero, quo in antecedd. usus erat, protinus in singularem converso ¶. 15. sic auspicatur : ἐὰν δὲ ἀμερήσῃς τὸ ὄντος σε, ἵππε &c. Si vero peccaverit in Te frater Tuus, abi &c. & in nostro versu inquit, εἰπὲ, dic, ἔσω σοι, sit tibi. Et sane si Marci Cap. IX. v. 38. conferamus, Johanni potissimum hoc à Christo datum esse putabimus, qui occupato à quodam proprio ausu sine vocatione prædicationis Evangelicæ munere offensum se profitebatur, adeoque correptionem severiorem, pleniorēque in rite administrando officio suo Apostolico informationem meruisse censeri poterat : sed nec Petrum ab hoc sermone Domini excludi debere ex seqq. apparet, siquidem ille verba hæc Magistri sui ad se quoque pertinere ratus v. 21. quæstionem de numero reconciliationis fraternalè Domino proposuerat, unde & ad ipsum speciatim sermonem hunc Dominicum factum fuisse existimat D. August. T. X. serm. XV. in Matth. Quin imo non ad unum vel duo Apostolici collegij membra, sed ad plura, imo ad omnia directam fuisse concionem Christi, tum ex libera illa modo singularis, modo pluralis numeri usurpatione inde à ¶. 13. ad ¶. 18. tum ex collatione Matth. XIII. v. 1. cum Marc. IX. v. 33. & 35. clarum est, ubi cum jam domi esset Jesus, & consedisset, vocasse τὴς δύοδεκα, duodecim scil. Apostolos, & illorum sermocinationes, quas in via instituerant, sub examen revocasse memoratur. Utrum vero ad solum Collegium Apostoli-

stolicum restringendum sit hoc Christi de observandis in Ecclesia gradibus fraternæ correptionis mandatum , adeoque speciale sit solis Apostolis , vel eorum in officio docendi , vel in Ecclesia praefidendi successoribus dictatum sit ? quam Ligftooti sententiam fuisse autemat B. Calovius Bibl. Illstr. in h. l. p. 349. a. an privatos tantum ? an vero simul omnes , qui Apostolorum praconio ad fidem in Christum convertendi , & ad Ecclesiam Christi aggregandi erant , i. e. omnes Christianos , sive omnia Christianæ Ecclesia membra concernat ? quare potest . Posterior utique afferendum est . Ei enim hic à Christo præceptum datur , qui fratrem habet , à quo offendit potest , & cuius reductionem ad saniores mentem , animaque ejusdem lucrum per salutares admonitiones ex fraterna charitatis vinculo querere ipsum oportet . At talis est quilibet Christianus . Hi enim perfidem in Christum ejusdem corpori mystico , i. e. Ecclesiæ inserti , unum Patrem habent in cœlis , Patrem videlicet Domini ac Fratris nostri , JESU CHRISTI , à quo in filios æquali jure adoptati , & per Baptismum regeniti sunt ad eandem hereditatem celestem . I. Petr. I. 3. 4. adeoque fratres inter se sunt ; fratres , inquam , non natura , sed gratia ; non naturali generatione , sed spirituali regeneratione ; fratres , uno eodemque Spiritu donati , uno eodemque cibo & potu spirituali pasti potique ; fratres , unius ejusdemque fidei speique consortes ; & jam ante quidem jure naturæ , ut bene observat Cornelius à Lapide , Comment. in h. l. sed novo nunc sanctiorique Christiani nominis vinculo ad mutuæ fraternitatis sinceræ officia sibi invicem præstaude obstrici : Eleganter , ut solet , rem exprimit , Harm. Evang. Chemnitio-Lyser. C. XCII. p. m. 100§. de fratribus , inquiens , Ipsi (Christo) sermo , qui quidem ejusdem sunt fidei & Ecclesiæ membra . Quid enim illi , qui foris sunt , ad nos ? Nam eos , qui foris sunt , Deus judicabit I. Cor. V. 12. Nihil hic dicitur , quod non ex aequo ad omnes pertineat Christianos . Quod suo quoque suffragio confirmat Bellarm. T. I. Controv. L. II. de Rom. Pont. C. XII. circa finem : quæ , inquiens , Petro dicuntur , ut uni ex fidelibus , certe omnibus

fidelibus dicta intelliguntur, ut Matth. 18. Si peccaverit &c.  
 Quod si tamen hæc Salvatoris doctrina communiter omnibus Christianis observanda venit, quin eadem eminentiori gradu in eos, qui in Ecclesia docendi alios munere funguntur, competit, nemini ambiguum esse confido, qui prater ea, quæ supra de Apostolis dicta fuere, praxim quoque Apostolicam consideraverit, Pauli imprimis, qui cum gravibus monitis Titum suum, quomodo erga scandala Ecclesiæ quævis doctrinæ & morum in Ecclesiam irrepentia, gerere se debat, instruxerat Tit. III. v. 10. tum proprio exemplo, quod cuiusvis fidelis Ecclesiæ Ministri in casu disciplina Ecclesiastica officium sit I. Corinth. V. 1. seqq. dilucide commonestravit.

## §. VIII.

Quæ vero III. Causa sit & materia, qua de ad Ecclesiam referre jubentur discipuli? quæ controversia, quam vel componendam vel dijudicandam ad Ecclesiam remittit Salvator noster? vel brevius: quid sit illud, quod ex precepto Domini Ecclesiæ dicendum vel indicandum? multum hic inter se variant Interpretes. Ex iis autem, quæ Janx superius §. 5. tradita sunt, certum est, tertium his describi gradum, in casu offendientis & ordine correptionis fraternæ servandum, qui publicus est, cum priores sint magis privati, & omnino procedere debeant, ut scilicet, qui noluit audiire monentem nec testes, deferatur ad Ecclesiam, iudicio Cornelij à Lapide in Comm. super h. l. Non itaque leviores proximi peccantis nævi, aut lapsus humanae infirmitatis hic intelliguntur. Sunt enim (uti optime monet sapius laudata Harmonia Chemnit. l. c.) quedam vitia hominum quasi naturalia, nec magni momenti: ibi non necesse est, ut semper querele ingeminentur. Quedam silentio sunt involvendi & pallio charitatis contegenda, juxta vulgare dictum: Amici vitia noveris, non oderis. Pueriles enim offendit, & humanae infirmitates in hunc censum venire non videntur. Sed, ut pergit ibidem Vir πολλῶν ἀντίξεων, αὐτήν τε, talia peccata, dicta vel facta, quibus vel honor Dei, vel dilectio proximi leditur, & in quibus

*bus homo perire possit, nisi corrigeretur.* Res tota, injuria sive realis sive verbalis, inquit Hann. in h. l. Talia, inquam, *μαρτυριατικα*, quæ quanquam, prout ex addita v. 15. ad verbum *μαρτυριον* phrasí eis oꝝ, in te, manifestum est, speciatim ad offensas privatas, quæ singulis inferuntur, & quarum remissio in nostra potestate est, vid. Gerhard. *Annot. postb. pag. 794.* refringuntur, non tamen tam illatas modo, & forsan *επει παραγέτως* fine certo proposito aut animo injuriandi vel offendendi, sed jam magis radicatas, *επει παραγέτως* continuatas, insanabiliter pertinaces, uti D. Chrysostomus exponit in brevi enarratione sup. Matth. nullo admonitionum genere corrigibiles injurias, magnoque cum scandalo conjuntas designant. Et hac quidem ratione objectum hujus à Christo discipulis commendatae remissionis ad Ecclesiam exponit Seb. Barradius *Comment. in Concord. & Hift. Evang. T. II. L. X. C. XXXV. p. 727. seq.* Postquam enim ex Patrum interpretationibus ostendisset, per peccata illa intelligendas esse offensas & lassiones privatas, quarum correctio-nes partim privatim & solitarie, partim in præsentia testium seu audienciarum, seu simul etiam monentium instituenda sunt, si tales admonitiones & correptiones susque deque habentur, subjicit, tales offensas, quin & contemptum talium, Ecclesia esse indicandum.

## S. IX.

Num vero de Solis privatis injuriis referendum est ad Ecclesiam? ita quidem videtur Augustino Marlorato in h. l. & Johanni Ligfooto Hor. Hebr. pag. 394. Christus, inquieti, non prescribit de omni peccante, sed de peculiariter peccante in fratrem, ac peculiariter docet quid agendum sit fratri laeso; nec tam agitur de censura peccantis, quam de vindicatione corripi-entis, de qua testes docere debebant, & correptione fraterna corripientem officio suo defunctionem esse. Unde cum & admonitioni testium à peccante non sit auscultatum, ad Ecclesiam referri debet, ut omnibus innoscat, corripientem munere suo functum ac animam suam liberasse. Apud Judæos enim usitatum fuisse, ait, obstinatos in hac vel illa perversitate post aduliam

dultam admonitionem publico præconio in Synagoga notare ac infamiam eis inurere. Nec omnino abludunt ab hac sententia quidam Nostrarium, non hic agi de doctrina fidei & verbo prædicato ejusque comminationibus & promissionibus, de causis Religionis, de cultu novo, de Scriptura Interpretatione, aut omnibus prouisive controversiis, sed de vitio & disciplina morum, de privatis tantum offensis, deque fraterna earundem correptione, & si hæc non successerit, de censuris Ecclesiasticis, afferentium: nec inania sunt ipsorum argumenta, vid. Hunn. de V. D. L. III. C. V. Heilbronner. B. P. Art. XV. C. XIX. pag. 536. Gerhard. L. de Eccles. §. 119. Schertzer. Anti-B. Diff. II. p. 143. & Diff. V. pag. 323. Sed & D. Hieronymus Comment. in Matth. ab hac peccatorum classe exclusit peccata in Deum: Si autem, inquiens, in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrij.

## §. X.

Secus sentiunt Maldonatus, qui, Comm. in V. 15. postquam aliorum sententias, & speciatim Origenis de solis venialibus sive contra nos, sive contra Deum factis; Hilarij, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Theophylacti, Euthymii, de mortalibus, sed de his tantum, quæ contra nos, non de iis, quæ contra Deum fiunt, interpretantium, recitatet: *Credo, subjicit, ego, de omni peccatorum genere sive contra nos, sive contra Deum agi: addita ratione; spectandum enim est Christi consilium, ut peccantem non acerce accusenüs, sed benigne corrigamus &c.* Et post pauca: *tamen ex una peccatorum specie totum genus intelligendum est, nisi si quid aliunde obflat, quo minus fraterna correctio sit adhibenda:* quibus digitum intendit ad ea, quæ paulo ante dixerat; *videri ejusmodi esse, ut non sit, qui peccat, privatim corrigendus.* Itemque Cornelius à Lapide, in h. l. p. 346. §. Dices, ergo solum &c. & Bellarm. T. I. Controv. L. III. de V. D. C. V. §. 2. Hugo Grotius, quamquam proprie hoc de delictis, quæ imbecillitati humanæ ex ira, invidia, habendi cupidine solent obrepere, quæque ad alterius injuriam pertinent, agi fateatur; tamen in sequentibus simul meminisse nos

nos vult, morem esse divinæ legis in facti specie nobilissima indicare, quid in rebus aliis, servata tamen proportionis æquitate, sequendum sit. Cui eatenus utrobique subscribit B. D. Calov. Bibl. Illustr. N. T. h. l. ut haud diffiteatur, à majori etiam intelligenda illa de injuriis esse, quæ simul in totam Ecclesiam, & in Deum, qualis est hæresis, ut nempe talia deferantur ad Ecclesiam. Unde B. noster D. Dannbauerus, cum Anti-Christoſ. Sect. II. Art. VII. p. 725. Objectum censuræ Ecclesiasticae exponere vellet; Habet, inquit, hæc ferula, ut ita dicam, Ecclesiastica, pro objec̄to delicta non quævis, nedum errores mentis, ubi nāc̄ptis pos̄tis Gal. VI. 1. quam ἀφεσμός opus; sed atrocia, quorum etiam gentes pudeat I. Cor. V. 1. pertinacia, post unam alteramve correctiōnem continuata Matth. XIX. 16. 17. Scandalosa: ideo τὸ εἰς σὲ, ibid. ὦ. 15. non de privatis solum delictis, sed que εἰς σὲ, coram te cum publico scandalo facta sunt interpretamur, denique ē sufficienti convictione notoria. Conf. Hodos. Phæn. II. pag. 160. & Lactis Catech. T. X. p. 295. seq. Gerb. L. de Minist. §. 286. qui phrasin Græcani εἰς σὲ etiam reddi posse notat apud te, coram te, sive te conscientio, ut in genere Christus loqui intelligatur de quibusvis delictis proximo conscientio admissis. Paria habet Heideggerus Corp. Theol. Christ. Tom. Post. p. 602. Proprium censuræ hujus (scil. Ecclesiasticae) objectum quodvis scandalum fratri datum, quo ille ad ruinam adificari potest, est. Distinguit tamen inter scandala manifesta & publica, & inter occulta & privata. Illa hue proprie pertinere judicat, hæc tum demum, quando contumacia accedit, & adversus Deum & Ecclesiam rebellio spectatur. Eodem digitum intendit Vatablus in annot. adjectis, si te præsente, & vidente aliquod scelus admiserit, & ita te offenditer. De publica tamen etiam injuria, quæ Deo fit, loqui Salvatorem existimat.

## S. XI.

Quod si & quid nobis videatur, dicendum sit; hoc  
1.) extra controversiam apud omnes positum esse arbitra-  
mūr,

mur, quod de scandalis in Ecclesia, non quidem acceptis,  
 sed datis; & quidem Christiano à Christiano, à fratre spiri-  
 tuali, ejusdem fidei consorte, ejusdem Ecclesiaz membro,  
 datis, è quibus illi facilis in peccata etiam proæretica & ex-  
 istitum æternum prolapsus suboriri posset, Christo sermo sit;  
 id enim tum acerrima illa discipulorum inter se cum mu-  
 tuo omnium scandalio excitata de primatu in regno colo-  
 rum contentio ¶ 1. tum ipsius Domini iisdem disertis ver-  
 bis ¶ 6. proposita gravis ab omni scando activo dehorta-  
 tio abunde testatur; quibus etiam utrinque in Ecclesia  
 tollendis certissima, eaque saluberrima præscriptis remedia.  
 Cum autem 2.) scandalia alia sint doctrinæ, alia morum;  
 utroque vero genere frater, & quidem vel minimus, qui  
 imo integra Ecclesia, vel saltem non exigua ejusdem pars  
 usque adeo offendit possit, ut animæ periculum incurat, fi-  
 dei naufragium faciat, à Christianæ pietatis tramite deflectat,  
 aut in conscientia sua contristetur, & queque uni ac alteri ge-  
 neri remedia adhibenda sint, neutrum hic excludendum esse  
 censemus. Cum etiam 3.) scandalia alia sint leviora, alia  
 graviora; non de illis quidem, sed de his, propriæ Domini  
 loqui, vel ex ipsa totius textus *euæcyn* intelligere li-  
 cet. Non enim leve erat peccatum, ambitiosissima illa  
 discipulorum de primatu in Ecclesia obtinendo alteratio  
 ¶ 1. quæ ad instituendam hanc correptionem Optimum  
 Magistrum permoverat: nec leve potest esse illud scanda-  
 lum, quod tanti est, ut auctori ejusdem mola asinaria in  
 collo suspensa in profundo maris demersum fuisse, judicio  
 Domini præstitusset, antequam unum de pusillis, qui in Chri-  
 stum credunt, offendisset. Neque levior potest esse offensa,  
 quæ fratrem petens, ab Apostolo Paulo I. Cor. IIIX. 12. in  
 ipsum Christum commissa dicitur. Quanquam si reconci-  
 liationem & offensæ remissionem à Christo ¶ 35. com-  
 mendatam respicias, ab his ad illa, tanquam à minori ad  
 majus affirmative argumentari omnino licet. Cum porro  
 4.) scandalia alia magis privata, magis alia publica; privatas  
     alia

alia solummodo personas , totum vero alia cœtum Christia-  
num attingant ; in ipsis quidem gradus à Salvatore præscri-  
ptos accurate tenendos esse ; in his vero eosdem semper  
observari nec posse nec debere, quin imo, quæ totum Eccle-  
siæ cœtum concernunt, ad totum quoque cœtum deferenda  
esse, asserere nulli dubitamus. Nec supervacaneum 5.)  
existimamus , si distinguatur inter offensas sive *āvæ* sive  
~~ēn ἀποφέρεται~~ illatas , per duos tamen priores reconciliationis  
tentatae gradus vel tollibiles , vel jam feliciter sublatas , ubi  
ad ulteriore gradum adscensu opus non est ; & inter scan-  
dala pertinaciter continuata , nullisque privatim amicisque  
correctionibus sanabilia , ubi utique ad *feveriora* & prom-  
ptiora remedia progressus non solum permittitur, sed & præ-  
cipitur. Unde 6.) distinguendum judicamus inter illa, quæ  
Ecclesiæ dicenda sunt absolute & immediate, & quæ secun-  
dum quid, & mediate dicenda sunt : Secundum quid dicen-  
da sunt , in quibus gradus illi, juxta ordinem à Christo re-  
quisitum, observari & possunt & debent; absolute , in qui-  
bus gradus illi superflui, aut plane excepti sunt: e.g. pecca-  
ta atrocia, notoria, publica, directe in nomen Dei blasphem-  
ia, in decorum Ecclesiæ ordinem, morumque Christiano-  
rum honestatem , & pacem Ecclesiæ injuria : talia enim jam  
in Vet. Testamento Ecclesiæ immediate absque ullius moræ  
interpositione indicanda erant , juxta Deut. XIII. 6. seqq.  
Cap. XVII. 2. seqq. Quæ per hanc graduum fraternæ corre-  
ctionis à Christo factam definitionem, ab indicio Ecclesiæ fa-  
ciendo non modo non eximuntur, sed multo magis juxta  
legem observanda relinquuntur. Denique 7.) distinguen-  
dum videtur inter id, quod Salvatori nostro pro eo tempore  
disertis verbis , & ex instituto docere placuit , & quod *νατ*  
*ἀνθροίαν* ac per bonam legitimamque consequiam ex e-  
iusdem doctrina deduci potest, imo quod, si non *νατλ* *πντόν*,  
*νατλ* *διάνοιαν* tamen in sermone Christi continetur; quod po-  
sterius ad illa quoque, in quibus gradus illos observari fém-  
per fas non est, & quæ nihilominus etiam *ἀμαρτήματα* eis *σὲς*

peccatis coram te , te conscio cum publico scandalo commissis , jure accenseri possunt , omnino extendendum . Tandem 8.) non displicet distinctio inter Regulam , & Regulæ usum , adque specialem casum applicationem . Quod in Ecclesia Judaica jam ab antiquis temporibus , Conf. Dv. I. 16. usus recepti erat , ut res inter fratrem atque fratrem ad Synedrium deferretur , ejusque ab illo decisio expectaretur , id in Ecclesia Christiana non abrogatum , sed , limitibus tamen atque gradibus certis , ex Christianæ fraternitatis lege circumscriptis , observatum cupiebat boni ordinis in Ecclesia , quæ domus Dei est , & cujus incolæ omnes filij Patriæ cœlestis sunt , flagrantissimus Salvator .

## §. XII.

Sequitur IV. ut , cui ex disciplina Christi dicendum sit ? sive ad quem facta sit remissio ? dispiciamus . Ecclesiam esse , cuius in hoc tertio fraternæ correptionis gradu auxilium implorandum est , manifesta ejus verba loquuntur , sic enim ait : εἰσὶ τοῦ ἐκκλησίας , Dic Ecclesia . Quid vero sub nomine Ecclesia intellectum velit summus omnium Magister , multum inter se dissentient Interpretes . Nec mirum ; cum & ipsa vox ἐκκλησίας πολλονυπὸ σιτ , & modo proprie , modo tropice , idque vel metonymice , vel synecdochice , modo latius , modo strictius , modo universaliter , modo particulariter usurpetur . Vi quidem etymi , cum à Græco ἐκκλησίω , evoco , quod & terminum à quo , & terminum ad quem complectitur , quorum ille præpositione in , hic verbo κατέω indicatur , derivetur , in genere cœtum hominum ex aliis electorum , & segregatorum , quem Graci κοινωνίαν κατέ τε πόλιν , conventum eorum , qui de civitate sunt , appellant , Vid . Chemnit . Loc . Theolog . Part . III . de Ecclesia C. I. adeoque ordinatum ac justo ordine factum designat . Non tamen hic promiscue qualemeunque cœtum sive sacrum , sive profanum ; sive gentilem , ut Actor . XIX . v . 32. 39. & 40. sive Judaicum , qui ex Synedrio magno con-

constabat , & quem alias communiter Synagoges nomine  
venire notum est, Exod. cap. XVI. v. 3. Levit. cap. IV. 13.  
Matth. cap. IV. 23. Sed sacrum & Christianum significari,  
vel ex v. 20. manifestum est, ubi ab ipso Salvatore nostro  
Ecclesia definitur, quod sit cœtus duorum aut trium con-  
gregatorum in nomine Ipsius. Unde & ἐκκλησία Θεοῦ ap-  
pellatur Auctor. cap. XX. 28. 1. Corinth. cap. I. 2. cap. X.  
32. cap. XI. 16. 22. cap. XV. 9. 2. Corinth. cap. I. 1. Galat.  
cap. I. 13. 1. Thessal. II. 14. 2. Thessal. c. I. 4. 1. Tim. cap.  
III. v. 5. Θεοῦ ζῶντος 1. Timoth. cap. III 15. ἐκκλησία ἐν τῷ  
Χειρὶ Ιησοῦ. Ephes. cap. III. 21. τῷ Χειρὶ Rom. XVI. 16.  
**תְּהִלָּה לְסֶדֶךְ** Psalm CXLIX. verl. 1. Ecclesia sanctorum  
1. Corinth. cap. XIV. v. 33. ad oppositionem scilicet Ec-  
clesiæ malignantium. Psalm. XXVI. v. 5. LV. 16. LXIV.  
3. Observamus autem hic 1. phrasin duorum aut trium ; ex  
qua discimus , quod, licet Gregorius de Valentia Tom. III.  
Comment. in Thomam pag. 24. edit. Venet. cit. D. Gerhardo  
nostro Loc. Theol. Tom. V. §. 105. descripturus Ecclesiam,  
affirere non vereatur : *Nomine Ecclesia intelligimus ejus Cap-*  
*put, Romanum Pontificem.* Quo pertinet illud quorundam  
Scholasticorum assertum, *Papam esse Ecclesiam virtualiter* ;  
vi tamen nativæ vocis Ecclesiæ significationis, & vi effati  
Christi ad constituentam Ecclesiam ad minimum duæ vel  
tres requirantur personæ, ex quibus illa consistat, nec per  
Ecclesiam una aliqua persona supereminens , in quam illa  
per ultimam ἀνάλυσιν resolvatur, intelligi possit ; id quod  
& Bellarminus Tom. II. Controv. Lib. III. de Ecclesia Cap.  
XVII. quanquam Cap. XIV. f. locum nostrum ex mente  
Chrysostomi interpretatus erat: Dic Ecclesiæ, i. e. Prælato:  
(quod tamen apud ipsum Chrysostomum non in singulari,  
sed plurali legitur) tandem agnovit, circa finem recte scri-  
bens : *Una persona non potest dici Ecclesia ; addita ratione,*  
*cum Ecclesia sit populus & regnum Dei.* Quo & illud ac-  
cedit , quod in hoc sermone Christi manifestus adscensus  
fiat ab uno ad plures , & in contradistinctione ad unum,

plures per Ecclesiam designentur. Observamus 2. partcipium passivum συνημένοι, congregati; cuius, cum stirpem agnoscat verbum συνάγω, cogo, congreco, conjugatum est in συναγωγή, congregatio; quo ipso LXX. Interpretes in Translatione Vet. Testam. multo frequentissime usi sunt. An vero & idem Ecclesia N. Test. vel unquam tributum sit, vel etiam tribui proprie possit? non videtur D. Augustino, qui Tom. IIX. Opp. in Enarrat. in Ps. LXXXI. hunc in modum differit; In Synagoga populum Israël accipimus: quia & ipsorum proprie Synagoga dici solet, quamvis & Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam: divinasse quoque rationem, cur id factum sit, opinatur, quando ita pergit: five discernendi causa, scilicet id fecerint, five quod inter congregationem, unde Synagoga, & convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid: quod scilicet congregari & pecora solent, atque ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimus: Convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines. Quem sequitur Bellarminus, Tom. II. Contr. L. III. de Ecclesia Cap. I. §. secund. &c. Suffragari tamen huic sententiae non possumus; refragatur enim tum modo memorata ἡ LXX. Versio, qua non iis duntaxat locis, quibus de populo Israel sermo est, sed & his, quibus in Ecclesiam Novi Testamenti digitum intendunt Scriptores Ἰερόνυμοι, vel ipsam συναγωγῆς vocem, vel saltem conjugatum ejus adhibet, conf. Ps. XL. v. 11. XLVII. v. 10. L. v. 5. Esai. cap. XLIX. 18. LX. 4. tum ipsa Divina Novi Testamenti Scriptura, qua Ecclesiam Novi Testamenti vel sub συναγωγῆς nomine ut Jac. II. 2. vel sub ἐπιστολαγωγῆς titulo, ut Hebr. cap. X. 25. vel sub conjugatorum usu multoties depingit, ut Matth. cap. XIII. v. 47. cap. XXII. v. 10. Marc. cap. VI. v. 30. Joh. c. XIII. v. 2. XX. 19. Acto. cap. IV. v. 31. cap. XI. v. 26. cap. XIV. v. 27. cap. XV. v. 6. 30. cap. XX. v. 7. 8. I. Corinth. V. v. 4. Quod vero ad rationes ab Augustino adductas attinet, quamvis vel differentiae, vel illustrioris significationis causa

causa Apostolos vocem ἐκκλησίας cœtui Christiano tribuere maluisse, quam nomen συναγωγῆς, quod Judaica Ecclesia sibi servabat, faciles largiamur, id tamen propterea factum esse, quod congregare proprie pecorum, convocare proprie hominum sit, nobis persuadere non possumus. Ut enim taceamus, vocem congregationis in S. Codice promiscue de hominibus & pecoribus usurpari, hoc insuper certum est, Ecclesiam Novi Testamenti sapissime sub grege pascui Messiani describi, ut Psalm. C. v. 3. Ezech. cap. XXXVI. v. 11. Quid? quod ipse Christus fideles suos sub ovium pictura delineat Joh. X. & τὰ καλεῖν atque ἀγαγεῖν pro ἰσοδωρίᾳ habet, & quas oves modo καλεῖν κατέβοντα se dicit, ¶. 3. mox ἀγαγεῖν se oportere pronunciat ¶. 16. Quin imo suimet ipsius oblitus videtur Sanctissimus Pater, jam ante in Psalmum LXXVII. ita commentatus: *Nobis fortassis potius conuenit dicere, Salva nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus, ut confiteamur nomini sancto Tuo. Neque dediti nos oportet, imo gratias ineffabiles age, quod sumus oves manuum ejus &c.* Sed nec ipsa Synodus Tridentina ab hac συναγωγῆς seu congregationis appellatione omnino abhorret, ut videre est ex *Sess. II. III. IV. &c.*

## §. XIII.

Sed nec longa disquisitione opus est, Triumphans ne, an militans Ecclesia hic intelligenda sit? Ipse Christus enim, quod non de ista, sed de hac loquatur, disertis verbis declarat, quando sermonem suum ad eos restringit, quorum ὅμιλοι τὸν πάτερ in his terris facta peccatorum seu remissio seu remittentio, in cœlis quoque sit ratihabenda, ¶. 18. & quorum ὅμιλοι τὸν πάτερ peractæ preces Symphoneticæ, à Patre cœlesti sint exaudiendæ.

## §. XIV.

Quamvis autem cum Nostratis omnino statuimus, quod vera Christi Ecclesia, non quidem quoad essentiam

tiam suam , & quoad species ἀντιδημούρως oppositas , sed  
 quoad accidentia , & status varios exteros , ac pro diverso  
 duntaxat considerandi modo sit vel Invisibilis , vel Visibilis :  
 (longe enim à nobis absit fanaticum illud Weigelij Part. I.  
 Postill. f. 140. propugnatum deliramentum , quod Ecclesia  
 vera quidem per totum orbem dispersa sit , sed in nullo  
 certo loco & cœtu visibili reperiatur . Nam hoc aperitis  
 Scripturæ Sacraæ testimoniis adversatur , quæ , quoties Aposto-  
 lorum ad certas Ecclesiæ prescriptas recitat Epistolas , to-  
 tias quoque visibilium Ecclesiæ cœtuum mentionem facit )  
 Invisibilis scilicet ratione internæ societatis veræ & vivæ  
 in Jesum Christum fidei , Soli Deo à priori cognitæ Job. cap.  
 XI. v. 14. 2. Timoth. II. 19. quo respectu Ecclesia juxta A.  
 C. Art. IIX. & Apol. A. C. p. 147. Proprie est congregatio  
 Sanctorum , & vere credentium , atque in Symbolo Apo-  
 stolico inter Articulos fidei , quæ est τοῦ μη βλεπομένου Hebr.  
 cap. XI. v. 1. eorum quæ non spectantur , sed creduntur ,  
 refertur , ad quam etiam propriæ pertinent , quæcunque de  
 interno Ecclesia splendore Psalm. XLV. 14. de perpetui-  
 tate Ecclesiæ in his terris usque ad consummationem seculi  
 Matth. cap. XVI. v. 18. cap. XXIX. 20. & alias honori-  
 fice de Ecclesia in Sacris Literis prædicantur . Visibilis ve-  
 ro , sub qua tanquam toto aggregato illa tanquam pars no-  
 biliar latitæ , ratione externæ societatis , professionis atque  
 administrationis , quæ fit per externam verbi juxta revela-  
 tiones in Scripturis factam Prædicationem , Confessionem ,  
 ac Sacramentorum legitimam administrationem ; ad quam  
 omnes vocati , qui fidem Christianam profitentur , ac Sa-  
 cramentis utuntur , pertinent ; ut adeo immerito à Thoma  
 Stapletono Anglo , S. Theol. D. & S. Scriptura in Acad. Lova-  
 niensi olim Prof. Regio Relect. Controv. de Princ. Fid. pag. 17.  
 vapulet Lutherana ab Aug. Conf. Art. VII. tradita Ecclesiæ  
 Definitio , cum ipse sui immemor mox rectissime dici fatea-  
 tur , quod mali sint membra Ecclesiæ secundum externam  
 Societatem propter Sacraenta : ipsam tamen Ecclesiam

prin-

principaliter esse societatem fidei & Spiritus Sancti in cordibus. Quæ quidem, non semper talis, i. e. visibilis est; habet enim instar lunæ modo incrementa sua, modo decrementa, modo florenti, modo minus florenti statu utitur; quatenus vero, & quando talis est, suis notis discretivis constat, & ab omnibus aliis cœtibus, Ecclesiæ nomen sibi, sed falso, arrogantibus, accurate dignoscitur. Quæ sint illa veræ visibilis Ecclesiæ *veritatem*, haud longa indagine per vestigari necesse est; ipse Salvator noster versu seq. 19. & 20. non obscure illa nobis exponit, quod sint, congregatio, unitas & invocatio Dei in nomine Suo, (Christi) i. e. juxta præceptum & mandatum Christi in verbo Scripturæ Sacrae nobis revelatum. Plenius ea de re nos instruit D. Johannes, I. Epist. V. 8. ubi testes veræ Ecclesiæ in his terris, & quidem in hoc suo testificandi officio conjunctissimos, nominat Spiritum, scilicet Sanctum, in verbo Scripturæ loquentem, aquam baptismalem, & Sanguinem Jesu Christi in S. Cœna juxta institutionem Sponsi Ecclesiæ inter membra Ecclesiæ distributum.

### §. XV.

Quodammodo hac in re habemus D. Augustinum, qui Tom. VII. Lib. de Unitate Ecclesiæ Cap. XI. hunc in modum disserit: Si autem aliud declamas vel recitas: nos post vocem pastoris nostri, per ora Prophetarum, per os proprium, per ora Evangelistarum nobis apertissime declaratam, voces vestras non admittimus, non credimus, non accipimus. Quæ sunt oves meæ, inquit Pastor cœlestis, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Vox eius de Ecclesia non est obscura: quisquis ab ejus grege errare non vult, hunc audiat, hunc sequatur. Et Cap. XVI. ita pergit: Remotis ergo omnibus talibus, Ecclesiam stiam demonstrant, si possunt non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorundam libet disputationum, non in signis & prodigijs fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed in

*pra-*

Præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum Cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis Sanctorum librorum autoritatibus. Thomas quoque Stapletonus Relect. princip. Controvers. I. Quæst. IV. Artic. V. Refut. 7. p. 113. ingenue fatetur: Ecclesiam Christi (licet ab imperitis fidelibus & parvulis in fide, qui de doctrina ipsa in suis causis, principiis & mediis considerata, utpote nondum satis informati, judicare non possunt, ab ipsis quoque infidelibus, qui parum aut nihil de Ecclesia norunt, per externam faciem & multitudinem populi- rum credentium atque pastorum tantum cognosci statuat, quod de γνωστοι pedagogicis, evidentiam solummodo probabilitatis ac credibilitatis gignentibus quadantenus admittimus) à sapientibus & spiritualibus, quales sunt (imo esse debent, non soli) Ecclesiæ Magistri & Pastores (sed & quilibet Christiani per verbum Scripturæ S. prædicatum, auditum, le- atum, à Spiritu per Baptismum accepto illuminati) cognoscitur per sanam doctrinam & rectum Sacramentorum usum. Sed nec ipse Bellarmius Lib. IV. de Notis Eccles. Cap. II. §. Respondeo simpliciter &c. diffitetur, Ecclesiam, quando est obscura, (quando obscurum est, quæ sit vera Ecclesia) ex Scriptura esse dijudicandum. Nosque Lutheranos ita statuere attellatur Lib. III. de Ecclesia Cap. X. Lutherani, dicens, visibilia quædam & externa signa statuunt, nimirum prædicationem verbi Dei & Sacramentorum administrationem, & conanter docent, ubique hæc signa conficiuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Similiter Martinus Bicanus Manual. Contr. Lib. I. Cap. III. de Ecclesia Conclus. I. §. I. fatetur: Philippum Melanchthonem in Exam. Ordin. titulo de Ecclesia (Corp. scilicet Doctr. p. m. 786.) ita definire Ecclesiam visibilem in hac vita, quod sit cætus visibilis amplectentium incorruptam Evangelij do- trinam, & reße utentium Sacramentis; in quo cætu Filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam æternam. Et subjicit ipse Bicanus rem certam esse.

\*\*\* 30



**S**ich möchte gern Mein Freund zu deinem Lob was  
sagen /

Dass Du so ungemein der Weisheit nachgetracht/  
Doch weiß ich solches nicht Emphatisch vorzutragen/  
Weil Dein Geschicklichkeit mich ganz erstuinen macht.  
Ich gib Dir allen Ruhm der Dir von recht gebühret/  
Bevorab da man jetzt sieht eine neue Prob:  
Indem Du freudig stehst mit Weisheit aufgeziehret/  
Zu Deiner Gönner Freind/ und Deinem größten Lob.  
Du wirst wol tausend mahl die Früchten davon sehen/  
Die Du als eine Gab schon längst bestimmet seind:  
Dich glaube ganz gewiß/ und hoff' es wird geschehen/

Was

D. N.

wünscht /

### Dein allerbester Freund.

**M**an ist zwar sehr bemüht die Kirch so zu beschreiben/  
Als ob dieselbige stäts würde sichtbar bleiben/  
Und eben an dem Stück unfehlbarlich erkannt;  
Da doch nur Gott allein die Seinen sind bekandt/  
Die Ihm im Gottesforcht und wahrem Glauben dienen.  
Auch pflegt die Kirch ja nicht in stätem Flor zu grünen  
Sie ist gleichwie ein Roos/ die in den Dornen steht/  
Und manchen herben Stich in dieser Zeit empfahlt.  
Drum mag man von der Kirch nicht leicht ein Urtheil  
fallen.

Nach äußerlichem Schein: Weil von den Unglücks  
Wellen

Das Kirchen-Schiff gar oft ist ganz und gar bedeckt/  
Und unter trüber Gluth des Kreuzes tieff versteckt.

Diß

R (o) R

Dich zeigst du / Werther Freund ! mit Himmel-festen  
Gründen/

Die sich in Gottes Wort unwidertreiblich finden.

Gott steh' mit seiner Gnad (so wünsch ich) Dir jetzt bey/  
Dass dieß Arbeit auch in Gott gesegnet sey.

Dein'n unermüdeten Fleiß und deine schöne Gaben/

Die Dir schon manchen Ruhm und Lob erworben haben/

Erhalte Gott in Dir/ in selbst erwünschtem Flor :

Bis daß du in der Kirch leuchtest/ wie ein Liecht hervor.

Dem Herrn Magistro Descendenti zu Ehren wolte  
solches wohlmeinend befügen.

M. Joh. Nicolaus Gams/  
Argent.

S Ekt / werth - geschätzter Freund / zeigt dein ge-  
priechner Fleiß /

Wie du so Nacht als Tag die Stunden Neyh verzehret /

Was man vom Alterthumb und von der Kirchen weiß /

Hast Du seither gelernt/ nun wirds von Dir gelehret /

Wer deine Sitten kennt / und dein getreu Gemüth /

Läßt einen Vivat-Schall in deine Thesen fliessen /

Und wer dich so gelehrt auff dem Catheredel sieht /

Hilfft auch die Frucht davon in etwas zu genießen /

Die Sömmer mehren sich / das Glück bent Dir die  
Hand /

Und die Belohnung sey/ so reich als dein Verstand /

Ich wünsche/ daß zum Trost der edlen Batter Erden

Du einstens mögst ein Liecht von der Materie werden.

Dieses wenige wolte seinem werthesten Freund  
aus obliegender Schuldigkeit anbefügen

Johannes Gies/  
SS. Theol. Stud.



99 A 6910

ULB Halle  
002 710 579

3




56.

VD 77

Zetra

Thc. 68.





I. N. f.

7 a

EXERCITATIO THEOLOGICA  
DE  
REMISSIONE  
FRATRIS LÆSI AD  
ECCLESIAM PER CHRI-  
STUM FACTA,

*Matth. XIIIX. v. 17.*

Cujus

PENSUM PRIUS

DIVINO FAVENTE NUMINE  
PRÆSIDEVIRO Maxime Reverendo, Amplissimo  
atque ExcellentissimoDN. JOH. REINARTO  
BRECHTIO,SS. Theol. Doctore, ejusdem Prof. Publ. Ordinario  
longe Celeberrimo, Ecclesiaste Libero Meritissimo, atque  
p. t. Spectabili Facult. Theol. DECANO,  
DN. Patrono, Fautore ac Preceptore suo omni pietatis  
cultu in aeternum devenerando, colendo.

PUBLICO Examini subjicit

M. JACOBUS SCHWEIKARDUS,

Argentoratensis.

Die 17. Aprilis A. M. DCC. XVI. Horis locoq; consuetis.

ARGENTORATI, LITERIS JOHANNIS PASTORIL.